



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. II. Quinam libertatem, seu Liberum arbitrium negaverint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

ab intrinseco illatâ : undecumque enim, præterquam ab ipsâ voluntate, accedit determinatio, tollitur libertas. Quod, de libertate loquens, paucis hisce verbis optime expressit S. Augustinus: *Si laboriosum est, inquit, omnia mandare memoris, hoc brevissimum tene: quacunq[ue] ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: De quâ libertate loquitur Apostolus 1. ad Corinthios 7. vers. 37. Non habens necessitatem, potestatem autem habens sue voluntatis.* De hac solâ libertate sermo erit in præsentî, quippe quæ sola humanarum omnium, laudèque ac vituperio dignarum actionum radix est & fundamentum.

S. August. Tom. I. l. 3. de Lib. arb. cap. 18.

III. Quid Libertatis, seu Liberi arbitrii nomine intelligatur.

Communis definitio libertatis.

Cur vocetur arbitrium.

IV. Difficultatis eiusdem solutione, magis declaratur libertatis definitio.

Aptitudo aëris ad habendam lucem, & privationem lucis.

V. Diversissimi operandi modi inter libera & non libera.

VI. Magis declaratur differentia inter causas liberas & necessarias.

VII. Particularia de libertate.

Ut varias Liberi arbitrii, seu Libertatis acceptiones omittam, aliud nihil est nisi voluntas ipsa, se ad utramque contradictionis partem potens inflectere, remque sibi propositam amplecti pro libito, & non amplecti. Hæc communis est Theologorum ac Philosophorum sententia, libertatem in actu primo, seu potentiam liberam definiendum esse eam, quæ *positis omnibus ad operandum requisitis, potest operari, & non operari*: ita S. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 3. quem alii sequuntur, estque communis vox sanctorum Patrum, *Arbitrii libertas*, inquit S. Gregorius Nazianzenus in Apologet. *parem in utramque partem motum habet.* Idem docet S. Joannes Damascenus lib. 2. de Fide, cap. 25. & 26. S. Gregorius Nyssenus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Augustinus, & alii. Quod verò in hanc vel illam se quis partem arbitratu suo flectat, vocatur liberum arbitrium.

Dices: non potest hoc modo defini libertas, ut nimirum sit simul potentia ad operandum & non operandum, esset enim potentia ad contradictoria, quod implicat, nullus siquidem eodem instanti operationem & non operationem simul potest conjungere. Resp. aliud esse, simul posse aliquem operari & posse non operari, aliud posse operari & non operari simul, similitate scilicet tenente se ex parte potentia, non effectus, nec enim esse potest simul actus, & illius omisio. Sicut aër primo creationis instanti habet aptitudinem ad habendam lucem, & aptitudinem ad habendam lucis privationem, cum non magis determinatus sit ad unam, quam ad aliam, sed æqualiter indifferens antecedenter ad utramque; & tamen non potest habere lucem & privationem lucis simul. Idem est de materia respectu diversarum formarum, ac dispositionum, & sexcentis hujusmodi.

Dices secundò: etiam bruta possunt operari & non operari, ergo illis quoque competit definitio libertatis. Respondetur negando antecedens, bruta enim quando operantur, non potuerunt pro illo priori non operari; & cum non operantur, ideo est, quia operari non possunt, sed aliquid deest ut sint proximè ad operandum expedita.

Secus res se habet in agentibus liberis, hæc enim, etiam quando sunt proximè expedita ad operandum, possunt & operari & operationem omittere, simul namque, ut dixi, habent potentiam ad utrumque. Agentia verò inanimata, & animata necessaria habent solum potentiam vel impotentiam operandi, id est vel habent potentiam prodeundi in operationem, vel eam non habent; libera verò potentiam & ad unum habent & ad aliud. Ut ergo verbo concludam, causæ necessariae potentiam determinatè habent ad alterum, libera ad alterum.

Hæc de libertate pro præsentî instituto sufficiunt, peculiaris enim rerum ad eam spectantium

discussio pertinet ad libros de animâ, ubi plura ad illius declarationem posui, & hanc quaestionem fusiùs tractavi.

tae tractata sunt in libris de anima.

SECTIO SECUNDA.

Quinam libertatem, seu liberum arbitrium negaverint.

LIBERTATEM, seu liberum hominis arbitrium primus negavit, hæreticorum omnium antesignanus Simon Magus, inimico jam inde à nascente Ecclesia zizania in illius agro seminante: ut videant, qui foedum hunc errorem promovere pro viribus, ac stabilire non ita pridem conati sunt, quo auctore gloriari possint, & ex quo primum fonte, aut sentinâ potius hæc doctrina sit derivata. Hunc secuti postea sunt Manichæi, Wicleffus, & alii, qui secretâ quadam vi agi omnia, ipsasque adeo hominum mentes pronuntiabant, nec in cuiusquam potestate esse, ut suo quidquam arbitratu præstet, sed quamcunque operationem exercet, interno quodam semper in eam pondere, voluntatisque necessitate, ferri.

I. Hæretici negant libertatem, seu inde à nascente Ecclesia, sibi exorta.

Hoc etiam dogma, nullam scilicet homini in operando libertatem esse, sed quicquid agit agere necessariò docent, in eoque stabiliendo toti sunt nostri temporis sectarii: imò hunc inter præcipuos sectæ suæ articulos enumerant. Hinc eorum coryphæus Lutherus dogma hoc, homines scilicet in agendo non esse liberos, omnium optimum appellat, veramque suarum summam. Libro etiam de servo arbitrio, liberum arbitrium ait esse figmentum in rebus, & titulum sine re, omniâque de necessitate absolutâ fieri. Imò inter portentosa scholasticorum pronuntiata recenset illud, *Hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, & econtrâ.*

II. Nulli homines libertatem esse docet nostri temporis hæretici.

Lutherum ducem sequuntur recentiores hæretici: quamvis enim ex Lutheranis nonnulli vocetenus in homine liberum arbitrium admittant, per hoc tamen intelligunt libertatem de coactione, seu à vi exteriori illatâ, vis enim hæc, seu coactio si absit, quantumvis necessariò quis agat, & ita ut se ab agendo cohibere omnino non possit, agit tamen, inquit, liberè: ita Bucerus, Melancthon & alii. Hoc verò dogma hausert ipsi à Luthero, passim asserente coactionem solam obstare libertati. Lutherus denique hoc effatum à Wicleffo asseclis desumpsit, quorum hæc & similes frequenter audiebantur voces: *Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum vel malum futurum; quia illa sola tollit arbitrii dignitatem: non autem alia necessitas præveniens absolute futuritionem effectus.*

III. Quo sensu Lutherani in homine admittunt liberum arbitrium.

Insuper hæc doctrinam, homines scilicet esse à solâ coactione liberos, non à necessitate, tenet & acriter defendit Calvinus lib. 2. Institutionum, cap. 2. & 3. Libro etiam secundò contra Pighium directè affirmat, se pro hæretico habiturum, si quis neget liberum arbitrium à coactione, modò asserat liberum à necessitate. Ut Lutherani Lutherum, ita Calvinum tanquam gregis sui ducem sequuntur Calvinistæ: in hoc proinde puncto hæretici hujus temporis ad unum omnes mirâ consensione conspirant: quo verò id sine præstent, & in hoc peculiariter dogmate firmando tantopere defudent, dicetur postea.

Lutherus à Wicleffo desumpsit hæc coactionem tollere libertatem.

IV. Calvinus similiter eam sententiam non à solâ coactione, non à necessitate docet esse liberum.

His omnibus, indignum fanè in modum, ut in aliis multis, ita in hoc etiam articulo adjunxit se Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus in crasso illo

V. Cornelius Jansenus hæreticorum dogmata confirmat.

illo volumine, quod tamen totum fere ex Calvinii, aliorumque sectariorum fragmentis est confarcinatum, ex quorum spoliis in ingentem molem excrevit, nec quidquam prope in illo est alicujus momenti, non opinio, non auctoritas, non ratio, quam ex haeretici alicujus scriptis non videatur desumpsisse, ut clarissime ostendit P. Stephanus de Champs erudito illo libro de haeresi Janseniana in scripto.

SECTIO TERTIA.

Homines, non à coactione tantum, sed etiam à necessitate sunt liberi.

VI. Jansenius itaque, nec dignitatis suae, nec fidei quam profitebatur memor, Lutheri, Calvinii, Butcheri, aliorumque Ecclesiae perduellium placita mordicus defendit, nervosque omnes contendit, ut eorum dogmata omni modo stabiliat: hoc verò sub specioso, quamvis e mentio S. Augustini nomine ita praestat, ut lector, si caveat, in errorem facile induci possit, dum scilicet venenum melle tectum, sub D. Augustini larvâ haereses proponit. Qua de causâ multi non immeritò existimant perniciosiorem, periculosiorem certe librum editum nunquam fuisse.

VII. Hoc proinde Jansenii opus, ubi primum in lucem prodit, obvis ulnis exceperunt haeretici, quod nimirum in eo parentum suorum, primorum scilicet hujus temporis sectariorum lineamenta passim animadvertent. Hunc inquam librum arripuerunt avidè, mirisque exornarunt praconiis, nec ullum laudandi fecerunt finem: ac denique ubi Pontificio fulmine percussus est, totis viribus defenderunt: suam nimirum in eo agi causam arbitrabantur, nec cadere Jansenium posse, quin ipsi in eandem unâ ruinam pertraherentur.

VIII. Opposuerunt se e contra Jansenio viri quidam eximi, doctrinaeque & zelo fidei insignes, Lovanii primum, ut ubi ortum est malum, illic oriretur remedium, nullamque non adhibuerunt operam, ut nascentia jam, aut renascentia potius falsa hæc perniciosissimaque dogmata convellerent, ac rem, quam magno orbis malo natam cernebant, in radice extinguerent. Sed, ut mala pertinacius hærent, altius hominum animis insederat, quam ut statim evelli posset. Id tamen horum conatibus effectum, ut (quæ ipsorum erat apud bonos omnes auctoritas) lenius serperet virus, nec facile quisquam ea probaret, quæ ab illis videbat improbata. Hos deinde alii & alii in variis Europæ partibus secuti, prædictos errores eruditissime etiam confutarunt, detractaque, sub qua delitescabant, larvâ, suis eos coloribus cernendos omnibus proposuerunt, & hac ratione factum est, ut fucatum à vero, adulterinum à sincero, vitiosum ab integro cuncti tandem discernent. Summi denique Pontificis (penes quem de rebus hisce pronunciandi plena est potestas) sententiâ liber is rejectus est, & anathemate percussus: sicque emerfit aliquando victrix veritas, ac dissipatâ, qua ad tempus intercipiebatur nube, dispersisque tenebris, fulgentissimos suos radios longè lateque diffudit, seque omnium præbuit oculis intuemdam.

IX. Obstrepunt tamen etiamnum nonnulli, sui que sensus plus æquo tenaces, non privatim tantum mussitant, sed palam etiam obloquuntur, & quicquid in harum damnatione positionum factum est, injustè factum clamitant, quodque, in illis præsertim, qui orthodoxi videri volunt, planè est intolerabile, amplecti eas adhuc audent, summoque conatu defendere; denique his hominibus potius est Jansenii nomen, quam sanctiones Apostolicæ. Nisi alio hodie igne arderent aliqui, quam igne Spiritus Sancti, non tam proni essent ad se Ecclesie scitis opponendum, haereticaque dogmata asseruenda.

LUTHERUS, Calvinus, & alii tum recentiores tum antiquiores haeretici, ut sectione præcedente vidimus, solam coactionem, seu vim ab extrinseco illatam ob stare dicunt libertati: unde quantumvis ad agendum quis necessitetur ab intrinseco, si tamen ab extrinseco non cogatur, operatur, inquit, liberè, neque necessitas, ut aiunt, quæ est ab intrinseco, quidquam vel merito obstat, vel demerito.

Eodem etiam penicillo, ut ibidem vidimus, libertatem depingit Jansenius, nec aliam lædere eam ait necessitatem, quam coactionis: sic tom. 3. lib. 6. cap. 6. Sola, inquit, necessitas coactionis repugnat libertati: & hoc idem saepe repetit & fulsissime probat. Non longè etiam ab eodem loco sic habet: libertas arbitrii in peccando cum peccandi necessitate consistit. Quod ejus effatum, ut ulterius non differam, apertè repugnat S. Augustino, qui to. 1. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. contrarium clarissime docet his verbis: *Si laboriosum est, inquit, omnia mandare memorie, hoc brevissimum tene: quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* En ut S. Augustinus, non coactionem tantum, sed omnem omnino causam, sive ea extrinseca sit, sive intrinseca, si resistere ei nequeat voluntas, libertatem tollere affirmat, & potentiam peccandi. Ex quo sequitur, vel ipso S. Augustino judice falsum esse dogma illud haeticorum, quod tam operosè, tantaque curâ & conatu firmare nititur Jansenius, solam scilicet coactionem in naturâ lapsâ tollere libertatem, merendique ac demerendi potentiam. Hæc obiter in præsentem; de mente enim S. Augustini fusè postea, ubi luce clariùs ostendetur Sanctum hunc Doctorem Jansenio & haeticis hac in parte esse è diametro oppositum, & ad actus nostros, ut vel præmio digni sint vel penâ, libertatem non à coactione tantum requirere, sed etiam à necessitate, plenamque in operando indifferentiam.

Dicendum itaque, certum omnino esse, ad libertatem, merendique ac demerendi potentiam, requiri immunitatem, non solum à coactione, sed etiam à necessitate: ita constans & conspirans Theologorum, imò Catholicorum omnium sententia, uno fortassis excepto Alphonso de Castro, qui incautiùs loquitur; quem tamen benignè interpretatur Bellarminus lib. 3. de gratiâ & libero arbitrio, cap. 4. & alii, ut nimirum, dum libertatem esse dicit, quæ opponitur coactioni, per coactionem intelligat quamlibet determinationem ad unum. Quo etiam modo intelligi possunt alii, si qui insinuare interdum videantur libertatem in immunitate à coactione sitam esse: coactionem quippe latè sumunt pro absolutâ necessitate, quæ ita res fit, ut penes operantem non sit eam omittere.

De hac autem sententiâ, libertatem scilicet à coactione ad bene vel malè agendum sufficere, quantumvis voluntas operetur necessariò, sic loquitur S. Thomas q. 6. de malo, quæ est de electione humanâ, seu libero arbitrio: *Hæc opinio, inquit, est haeretica: tollit enim rationem veritatis & demeriti*

I. Haeticorum de libertate error breviter recensetur.

II. Jansenii de libertate sententia plenius refertur.

Jansenii opinio doctri-næ S. Augustini a rectè opposita.

S. Augustino judice ruit haeticorum & Jansenii de libertate sententia.

III. Ad bene vel malè agendum non minus requiritur libertas à necessitate quam à coactione.

Quid per libertatem à coactione intelligant nonnulli.

IV. De opinione libertatem in immunitate à coactione sitam esse nonnulli.

Perniciosissimus simul & periculosissimus est hic Jansenii liber.

Jansenii liber haeticis opprimè gratus.

Haeticorum in Jansenii librum studium.

Jansenii liber à caris impugnatus.

Laudatissimi doctorum virorum conatus.

Victrix veritas è tenebris, quibus assidue habet, emerfit.

Intoleranda quorundam hac ætate audacia.

Quo hodie igne nonnulli ardeant.

